
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

35,-193.

DA Box

LN 1438
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

CARMEN GRA-
TVLATORIVM AD SE-
RENISSIMVM DANIAE, &c.
Regem FRIDERICVM ſecundum,
Dominum ſuum clementiſſimum de nato
illi filio primogenito, cum pio voto, vt
in gloriam Dei, multorumq́; hominum
ſalutem excreſcat, vbi dignitas
quoq́; & officium pij Magiſtra-
tus obiter exprimitur,

conſcriptum
à

IOHANNE SASCERIDE
Profeſſore Ebræo.

Eiuſdem
EVGNOMONVM Liber vnus in lau-
dem ſereniſsimæ Reg. Mai. de liberali
ſtipendiorum augmento.

Pſal. 72.

*Deus iudicium tuum Regi da, &
Iuſticiam tuam filio Regis:
Iudicet populum tuum in iuſticia,
Et pauperes tuos in Iudicio.*

HAFNIÆ,
Impreſſit Laurentius Be-
nedictj. 1577.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

CANDIDO
Lectori S.

CArmen gratulatorium in hac publica totius Regni Danici læticia candide lector adhortatione quorundam amicorum extorqueri mihi, & publicari paſſus ſum, non quōd elaboratum ſatis exiſtimarem, ſed vt meæ gratitudinis erga Reg. Mai. optime de me meritam extaret qualecunq; teſtimonium. Quod autem attinet ad alterum aliquanto prolixiorem Eugnomonum dictum librum huic adiectum, illum quanq; ante plures annos in laudem ſereniſsimæ Reg. Mai. compoſui, tamen eius editione (fateor) huc vſq; ſuperſedi, non quod aut iuſta preconia Reg. Mai. & huius Regni ſupprimenda iudicarem, aut Regium beneficium huiuſmodi noſtra gratitudine, multoq; maiore dignum haud cenſerem, ſed quōd in omnibus carmen hoc ipſi mihi nondum ſatis faceret, nec ſperarem placere poſſe delicatis eruditorum hominum (quales hoc tempore plurimi ſunt) auribus. Verumtamen, vbi publica nunc, vti dictum, læticia poſtulabat, vt & nos, inetr alios, Magiſtratui noſtrum officium, & gratitudinem carmine vel qualitercunq; ſcrīpto declararemus, in complementum huius etiam prius illud adiungendum duxi. Placebat autem, cum id ſcriberem, initiō, priuſq; ad rem accederem, fuſius aliquanto præmittere poë-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

ticam cuiuſdam arcanæ luctæ deſcriptionem, eò ſpectantem, vt ſacri miniſterij cum amabilitas, tum dignitas quoq; magis illuſtraretur, vtq; ita non modò primæ partes & ibi Deo tribuerentur, iuxta Nazianzeni verſiculum: ἀρχὴν ἁπάντων, καὶ τέλος ποίει θεόν, ſed vt etiam ipſe commodius tandem ſic ad ea, quæ mihi propoſita erant, fundamento prius iacto, progrederer. Quicquid eſt amice Lector, quæſo patienter, & candidè legas: Ingenij certè laudem in ſcripto hoc vtroq; minimè quæſiui, ſiquidem iam olim didici meo me metiri pede, lubenſq; cognoſco, me ab elegantia, leporeq; magnorum poëtarum abeſſe procul, adeoq; vnum hoc mihi ſatis erit, ſi noſtra Iuuentus his exemplis aliquantulum incitari poterit ad exercendum ſtilum, & rei poëticæ ſtudium. Vale.

Iohan. Saſcerides.

CAR.

CARMEN GRATVLATORIVM AD SERENISSIMVM Daniæ &c. Regem FRIDERICVM ſecundum de nato illi primogenito filio.

PVublica defeſſos Rex illuſtriſſime nobis
Gaudia nunc recreant animos, iuſtasq; mouemur
Æthereo grates Regi perſoluere Chriſto:
Seria quod placidis multorum vota piorum
Auribus accipiens, regnis donauerit iſtis
Hæredem, longumq; pij ſpem regis in æuum
Fecerit, à ſera qui poſteritate canatur.
Cum ſiquidem non eſſe diu pax aurea quouis
In cœtu humano ſalua, aut Reſpublica poſſit
Abſq; Magiſtratu, leges qui curet honeſtas:
Nec tamen in fragili miſeris mortalibus æuo
Iugiter hæc illæſa queat perſiſtere vita,
Sed noua ſubſtitui ſoboles cogatur vbiq;
Patribus ad metam properantibus irreuocatam,
Laudandus meritò Deus eſt, vbi Regibus altis
Maſcula progenies illius nata fauore eſt,
Iuſſa olim patrij ſumat quæ lampada regni,
Iuſticiamq; colat, cunctoſq; refrenet iniquos,
Nos igitur quoq; poſt diuturna ſilentia rurſus
Flectimur attactnm leuiter iuuenilibus annis

Carmina ſcribendi ſtudium, veteresq́ camœnas
Viſere, quo puerum generoſo ſanguine natum
Officio digno grati excepiſſe, ſuoq́
Commendaſſe Deo per debita vota probemur.
Te precor omnipotens genitor, qui lucida cœli
Templa habitas, etiã hunc vt fortunare laborem,
Deſuetaſq́ mihi clæmens in carmina vires
Reſtituiſſe velis, linguamq́ mouere canentis:
Dum, ventura pio, iuſtoq́ vt ſæcula Rege
Lætentur, magniq́, haud impediente, ſequantur,
Principe, verba Dei, monitis, precibusq́ laboro
Prouidus, & ſero nocitura nepotibus æuo
Scandala ſollicito calamo præſcindere nitor.
Ingenti ſiquidem iuſtè pro munere gratum,
Et veteris memorem benefacti oſtendere memet
Munifico Regi, latoq́ huic debeo regno:
Quando & vicenos tutam, placitamq́ per annos
Hîc habui ſedem, non hoſpes egenus, at amplo
Munere donatus, quo meq́, meoſq́ tuerer,
Dum patriæ idolis horrentia mœnia fugi.
Pro tali hoſpitio meritas perſoluere grates
Magnifico ſi nunc Regi, populoq́ negarem
Danorum, ingratus cenſerer iure vocandus.
Ergo age ſume pater noſtrũ hoc quoq́ dirige cæptũ,
Officio officium vel paruo paruus vt ingens
Compenſare queam dextra, concede, Thalia,
Meq́ etiam dictante, ſciat mundana poteſtas,
Quid ſibi præſtandum, & quanam ratione ſuorũ
Commoda

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Commoda promoueat, Chriſtoq; obſiſtere parcat:
Dum celebro puerũ, quem nunc ſibi florida natũ,
Inſertumq; piè lætatur Dania Chriſto.
Tu Rex imprimis Friderice petita lubenti
Gaudia mente capis, votiuaq; omnipotentem
Laude vehis Dominũ, tua quòd ſuſpiria pronus
Viderit, atq; preces miti ſuſceperit aure,
Quemq; diu tota flagrans cum gente petiſti,
Donarit Natum placidus, qui tradita regni
Tempore ſceptra ſuo capiat, ſeroſq; per annos
Defendat victrice manu, patriamq; gubernet.
Creſce puer fœlix, teneræq; minantia ſemper,
Dilectus Domino, ſuperato pericula vitæ:
De te ſæpè pio, dum figes oſcula blanda,
Rex pater, & Regina parens lætentur amore:
Conſpecto populus de te ſpem nutriat altam,
Quando tua virtus heroïca fronte nitebit,
Cumq; ætate ſimul creſcet Sapientia ſenſim
Vera tibi, fauſtoq; vnà cum nomine Chriſti,
Diuino afflatu iungetur ſpiritus almus,
Affectusq; pius, Chriſti quem ſermo requirit.
Creſce puer fœlix, nec te contagia lædant
Vlla, nec in vitium rapiant exempla malorum
Incautum, dubio teritur dum flexilis ætas,
Nemo, niſi caſtis, vnquàm tibi, moribus, adſit,
Nemo, niſi ſancta, colludat, mente, ſodalis,
Nemo mali quicquàm teneras immittat in aures,
Obÿciatue oculis: Imprimis ille remotus

 Omni

Omni ſit vitio, cæcæq; cupidine mentis,
Cui veluti fido tua committenda Magiſtro eſt
Mollis adhuc ætas, vt ad omnia recta ſequacem
Inſtituat, loliumq; enatum ſponte ſuapte
Supprimat, & puro ſpargat bona ſemina cordi.
Creſce puer fœlix, teq; alti viſa parentis
Flectat, vt inſiſtas eius veſtigia, virtus,
Te moueant ſemper fidæ pia dogmata matris,
Inq; Dei ſancto confirment vſq; timore:
Sit ſtudium vera primum vt pietate niteſcas,
Tum factis omnes vt demereare benignis:
Quò famæ fœlicis auum, quem nomine, ſacro
Tinctus fonte, refers, etiam cùm fortibus actis
Tum vera lucens in relligione ſequaris.
Nominis hoc ratio tacitè promittit, & omen
Accipimus læti: tu confirmato tuorum,
Numine propicio, ſpem, votisq; annue noſtris,
Inq; tua ſis gente, Deo donante petenti
Robur, vti rutilus fuluo ſapphirus in auro,
Cantatamq; domus virtutem & vince paternæ.
Creſce puer fœlix, ineunteq; fauſtus ab æuo
Præmeditare, cui te ſors altiſsima vitæ
Deſtinet, & quæ nam ſis informandus ad acta,
Scilicet vt ſancta populos ex lege gubernes,
Confirmata virum poſtquàm te fecerit ætas,
Vtq; ſcias longo ſtudio perdoctus, & vſu
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos:
At fidei curſum non impediſſe per arma

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Bellica, ſed Chriſto portas offerre patentes.
Hæc vigili certè cura ſunt omnia digna,
Nec dantur ſomnum, vel mundi vana ſecutis
Gaudia, nec Dominũ quotquot cõtemnere Chriſtũ
Præcipites abeunt, ſed ſanctis, atq; modeſtis,
Queis hominũ placet aucta ſalus, promotaq; Chriſti
Gloria, cor vero pietatis amore perunctis.
Vnde huc vt magno ſemper ſudore, neceſſe eſt,
Incumbat, quicunq; reget fœliciter vrbes,
Regnaq; lata: Deumq; erecta mente precetur
Noctes atq; dies, quò factus idoneus, eius
Munere ſolius, non tandem impingere cæcos
In ſcopulos, & ſe ſubuertere triſtè notetur,
Sed portum rectá petat, & fœliciter intret,
Abſoluatq; ſuum princeps laudabilis æuum.
Hoc petit aſsiduis & plæbs tibi ſubdita votis,
Hoc & nos omnes animo verace precamur.
Scimus enim, quàm triſte malum crudelis ouili
Sit lupus, &, læſi quem Numinis ira, Tyrannus,
Immiſit, populi vt plectat delicta ferocis.
Ille ſui ſimiles etenim trahit vſq; miniſtros:
Atq; adeò mox cuncta malis, & cladibus implet,
Vt, quoquò vertas oculos, animumq;, popelli
Nil niſi perniciem foris occumbentis, & intus,
Horribilemq; notes offenſi numinis iram:
Quando mali dominantur ibi, prauumq; ſequuntur
Vltro ducem: faciuntq; adeò, quodcunq; libido
Dictarit maleſuada: malis & præmia ſcribunt,

Atq; premunt impunè bonos : non lege reguntur
Immota, ſed iura, placet quò, cærea flectunt,
Vt muſcas teneant, at perrumpuntur ab ipſis :
Plurima ibi videas iuſti ſuſpiria cætus,
Et fletum vanum, & ſurdas mutire querelas,
Iuſticiæ princeps vbi non accenſus amore eſt.
Aſt vbicunq;, Dei per donū illuſtre fauentis,
Iuſticiam colit, & veræ pietatis amore
Ducitur in ſancto populo Rex, ocyus eius
A facie trepidi fugiunt, quicunq; maligni,
(Sole velut radios, nix, emittente, liqueſcit,
Cæraq; vicinum perſiſtere neſcit ad ignem)
Et latebras quærunt, nec tum graßarier audent
Amplius in clara productæ luce diei.
Pſalmographus veluti canit, orto mane, leones,
Atq; lupos, verſosq; ſuis abſcondier antris :
Verùm tunc homines operatum exire, tenebræ
Dum redeant : Ita ſub iuſto quoq; principe iuſti
Protenùs attollunt caput, iniuſtisq; repreßis,
Dulcia dilecto modulantur carmina Chriſto,
Iudicium inter oues, hircoſq; quòd aßerat æquum.
Præſertim, ſi non tantum ciuilia circa
Iura bonus fuerit Rex, at cœleſtia vero
Lumina corde ſimul biberit, regniq; beatus
Et portas aperire ſui properauerit almo
Chriſti Euangelio, nec vi ſuppreßerit illud,
Vt fieri ſolet in mundo plerunq; profano :
Tunc & doctorum citò magna frequentia ſurget
Illius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Illius ad nutum, qui verum inquirere ſudent,
Inuentumq́ piè ſubiecta per oppida plantent.
Nec tardè ciues hoc amplectentur, at vltrò
Regis ad exemplum ſe compoſuiſſe ſtudebunt,
Sic vt in electis cunctis ibi deinde perennem
Erexiſſe queat ſedem ſibi Chriſtus, & omnes
Ad ſeſe effuſa conuertere luce fideles.
Principe ſub tali Regis præconia paſſim
Audieris Chriſti, lætoſq́ ſalute reperta
Cantando multos Domino perſoluere grates.

At ſecus inuenies fieri ſub rege profano,
Qui proprio Chriſtum non tantùm à corde repellit,
Sed fruſtrà demens etiam prohibere laborat,
Per fidei verbum ne quiſquàm ſubditus illi
Diuinam aſpiciat lucem, obtineatq́ ſalutem:
Ceu Pharao quondã, Neroq́, & Maxentius atrox
Horribili in ſanctos nequicq̃ ſæuijt ira.
Nam tum, ſi leuis eſt, vnà cum principe ſæuit
Et plebs in miſeros: at qui perſiſtere, magno
Pauci de numero, quærunt in fœdere pacis
Mente pia firmi, nec ij ſine clade ſinuntur
Viuere triſtifica, nec aperta docere feruntur
Hoſtibus à pacis. Quare properantibus iſtis
Ad latebras, falſi doctores cuncta ſuperbo
Suggeſta, & cathedras audent implere boatu.

Qui ſeſe hinc munire parant, et claudere victis
Ora pijs, &, ne portam egrediantur apertam
Obſeſſi, prohibent, cæcoq́ includere Chriſtum,

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Et premere incluſum tumulo per grandia ſaxa,
Perq; ſuos vigiles inſtant, ne quando reſurgat
Ad vitam, neu ſermo eius non mortua poſthac
Littera, ſed viuus, conuertat, ſpiritus, omnes,
A quibus accipitur, bonaq; ad cœleſtia mentes
Euehat illorum, ſanctoq; in lumine ſiſtat.
Quod fieri nolunt reprobi: quapropter, vt Argi,
Math. 27. Centenis oculis obſeruant ſemper, aperto
Ne tumulo Chriſti, Scriptura nempe ſupernè
Lata, eius nocturni abigant exanguia fures
Membra, ſimulq; pij miſsi diuinitus vlli
Ne viuum ipſius veniant educere flatum:
Qui ſubito turres proſternat, & omnia celſa
Eſa. 30. 2. Deijciat, pulchrumq; nihil de carne relinquat.
Hinc aduerſus eos cunctis in finibus orbis
Armati vigilant, denſo & regna omnia firmant
Aggere: Ceu nigri Legati quattuor illi
Apoc. 7. Quattuor in ſectæ memorantur ſiſtere terræ
Cardinibus, vultuq; feri prohibere minace,
Ne Domini emiſsus torpente ſpiret in orbe
Ventus, & arboribus lapſas, terræq;, mariq;
Reſtituat vires: ne quiſquam ſcilicet audax
Educto populo cœleſtia dogmata tradat,
Inſpiretq; nouum diuinæ Lucis amorem:
Viuificum ſic ecce mali flatum vſq; Miniſtri
Chriſte tuum, verbumq; tenent, vbicunq; ſuperbũ
Obtinuit ſolium rex impius, atq; profanus.
Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Nec facile eſt ſub eo veniſſe ad publica ſanctis
Munia, nocturno nec tuta ibi Sponſa plateas
Tempore tranſierit, Sponſum dum quærit amatũ
Egreſſa in tenebris, quoniam crudelibus amens Cant. 5.
Ocijus occurrit reprobæ cuſtodibus vrbis,
Alta quibus curæ tutari mœnia noctu,
Cumq; feris armis vicos errare per omnes:
Hi grauia infligunt deprenſæ verbera Sponſæ,
Sauciaq; haud paucis illius membra retardant
Vulneribus, neq;, detracta niſi veſte, rapaces
Dimittunt nudam, ſuaq; infortunia flentem,
Dum ſequitur præeuntis amans veſtigia Chriſti:
Lucida ſic mundo pietas inuiſa profano eſt,
Nec patiuntur eam reges, regumq; miniſtri,
Queis Deus ipſe nouum non aſpirauit amorem.
At princeps bonus, & ſancto præcordia flatu
Tinctus hoc imprimis ardenti pectore curat,
Vt ſua regna piè Chriſto declaret aperta:
Nec rigidum ſæuus venienti huic obijcit enſem,
Vltrò ſed inuitat magis, vtq; accedere fauſto Pſal. 24.
Dignetur propius, rogat, ore, pioſq; miniſtros
Hinc ampla quoq; propoſita vocat vndiq; merce,
Largaq; allectos dextra ſuſtentat, egenæ
Poſſit vt & Sponſæ nutricius inde vocari. Eſa. 49.
Tum pietas, tum pacis iter, tum ſancta niteſcit
Iuſticia, & ſolidæ teritur via nota ſalutis
A multis ibi, non duro qui corde mouentur
Conſilijs parere bonis, & quærere vitam.

Gaudia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Gaudia Regẽ igitur iuſtũ cũ tanta ſequantur,
Iniuſtum verò tanti, prauumq; dolores,
Iuſticiæ ſanctum, & veræ pietatis amorem
Supplice corde tibi Rex ô generoſe, tuoq;
Filiolo charo per carmina ſacra ſupernè
Nos petimus iure à teneris infundier annis
Poſſe: Magiſtratus quoniam bonus omnia recta
Promouet: at malus econtrà mala quæq; miniſtrat
Ciuibus incumbens dubijs, rudibusq; colonis.
Tu Deus omnipotens, altus cui paret olympus,
Quiq; à terreno mundana negotia mandas
Rege gubernari, ne ſit confuſio turpis,
Ordineq; amoto, iuſtì ſint præda malignis,
Exaudi placidus noſtra hæc, & perfice vota,
Pſal. 72. Quæ poſt Pſalmographum pro noſtro Rege, nouaq;
Regis progenie, fœlix vt creſcat, & omni
Præniteat virtute ſuis, vbi grandior ætas
Obueniet, pauido nunc ad te fundimus ore:
Da genitor quæſo, Rex vt probet omnia recta,
Filius & Regis diuinæ luceat altus
Iuſticiæ ſtudio, populo quò iudicet æquus
Vſq; tuo, ſanctoſq; lubens tueatur egenos:
Liberet oppreſſos, oppreſſoresq; refrenet:
Hoſtibus incutiat, vertant vt terga, timorem
Diuina virtute micans: at fronte ſerena
Subiectam recreet fulgens clementia plæbem
Ipſius, vt cunctis pax aurea regnet in oris.

A M E N.

PSAL-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

PSALMVS 128: Beati omnes, qui timent Dominum: De mira ſacri coniugij benedictione, redditus in oda dicola diſtropha, verſibus choriambicis, Glyconico, & Aſclepiadæo, quorum hæc eſt menſura:

— — — ∪ ∪ — ∪ ∪
— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — ∪ ∪

HIs de coniugio ſacro
Sacrum ſubijciam Pſalmographi melos,
Vt nouiſſe queas pie
Coniux, quanta tibi cœlitus affluat
In Chriſto benedictio:
Dum, verbum placidi ſuaue timens Dei,
Blando colla iugo illius
Perſuaſus cupido pectore ſubijcis:
Seu diues foris interim,
Pollensq; imperio, ſeu magis indigus
Rerum, & pauper eris, premat
Sors vt mæſta reum: tu nihilominus
Fœlix es ter & amplius,
Quando non dubia mente colis Deum,
Illiusq; teris vias:
Nempe & munus obis pectore conſcio,
Sectarisq; memor ſtatum,
In quo ſermo Dei lucet, vt abdito

Te

Te parere ſcias patri:
Tum quanuis tenuem parua vocatio
Det victum tibi pauperi,
Vix vt poſſideas, vnde tuo volens
Acquiras alimoniam
Latranti ſtomacho, ni manus impigra
Toto extendat opus die,
Ac ſudore breuem lenta paret cibum,
Fœlix es nimium tamen,
Dum niti Domino pergis, & obſequi,
Fœlix, inquam, es, & affluet
Hinc diuina tibi munificentia:
Intus grata quies erit,
Atq; optata diu proſperitas foris.
Vxor cœlitus addita
Complebit vacuam prole tibi domum
Vitis fructiferæ modo:
Quin gnatos etiam, dulcia pignora,
Ceu plantas oleæ nouas,
Menſæ in circuitu ſtare videns tuæ
Cum clamore familicos
Almi Regis ales diuite de penu,
Quò paruæ, & velut abditæ
Victum ſufficient ſemper opes tibi.
Fœlix, en, adeo eſt homo,
Qui certo placidum corde timet Deum.
Atq; hac ſorte beet precor
Te, quemcunq; trahit vera beatitas,

Rerum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Rerum conditor, in Zion
Sacra rupe potens, & grege credulo.
Quumq; electa Ieruſalem
Diues non leuibus pollicitis Dei
Ponti tranſiliet minas,
Et cunctis pelagi libera fluctibus
Portum intrabit amabilem,
Tunc adiungat ei te Deus inſuper,
Muroq; eius ahæneo
Septum perpetua protegat à nece.
Quin tam ſerum etiam tibi
Vitæ in curriculo poſtulo terminum,
Vt natis videas tuis
Accreuiſſe nouam progeniem ſenex:
Ac fœliciter interim
Credenti videas omnia cætui
Deſeruire ſimul bona,
Tranquillaq; hilares pace frui pios.

FINIS.

Deo laus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

EVGNOMO-
NVM LIBER VNVS
ETIAM IN LAVDEM FRIDE-
RICI ſecundi, ſereniſsimi potentiſsimiq;
Regis Daniæ, Noruegiæ, &c. Domini ſui
clæmentiſsimi, quòd anno 1571. profeſsoribus
in regia ſua Academia Hafnienſi ſtipen-
dia liberaliter auxerit, collegarum
ſuorum nomine, gratitudinis
ergò, ſcriptus

Ab eodem.

IOHANNE SASCERIDE

PRO-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

PROOEMIVM AD
profeſſores artium.

EN precibus tandem veſtris accedere cogor
Artibus ô clari doctis, linguisq; Magiſtri,
Qui toties huc me verbis vrſiſtis amicis,
Vt meritas noſtro cunctorum nomine laudes
Munifico grates molirer dicere Regi,
Regi Danorum Friderico nempe ſecundo,
Laudati memoranda patris qui facta ſecutus
Muſarum hanc ſedem, augendo ſtipendia, Chriſto
Nuper in æternum ſtabilire ſategit honorem:
Quiq; facultatem, ne langueat indiga, noſtram
Frumenti modijs fermè ter mille, bonisq;
Innumeris alijs, quæ perſoluenda quotannis
Omnia ſint nobis, ex relligionis amore
Munijt, & firmam voluit perſiſtere ſemper,
Octenos addens noſtrum vnicuiq; colonos.
Hæc Rex eſt, fateor, celebrari ob munera dig-
Omnibus à nobis. ſi cui daret ore diſerto (nus
Muſa loqui, laudes, ornatus vt vbere vena
Diuitis ingenij, dignas hac Principis alti
Profari poſſet virtute: Sed arcta ſupellex
Ingenij mihi nota mei perſæpe retrorſum
Vertere me malè fixa monet veſtigia læſum.
Si quis enim forſan iuueni ſucceſſus in amplis
Aonidum quondam caſtris, & ſi qua canendi
Gratia, ſi curæ fuit vlla poeſis, id omne

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Iam tulit hæc ætas, & conſuetudo tacendi
Cumq; ætate pijs creſcens in pectore luctus,
Curaq; maiorum, licet haud ſatis ardua, rerum.
Non igitur, propriæ conſcribā vt laudis amore
Carmina, ſpes mihi vana ſubit, cū, quādo profūdis,
Præſertim, mea muſa natat, mergatur, in vndis.
Attamen, ingrato magni ne grandia Regis
Pectore credamur, taciturni, dona tuliſſe,
Voſq; ſimul ſocij monitis quia pungitis æquis:
Nec vobis me difficilem præbere deinceps,
Nec noſtri commune meo decus ordinis vſu
Negligere in dubia mihi ſtat ſententia mente.
Supplice ſed mecum Chriſtum ſi corde petetis,
Vt mihi det facilem ſcribenda in carmina venā,
Vtq; iuuet me (namq; poteſt hic omnia ſolus)
Et Domino, & Regi dignas perſoluere grates,
Hoc opus aggrediar, fretus bonitate patroni
Siderei, qui nulla ferox pia vota repellit,
Sed faciles inclinat egentibus omnibus aures.
Huius opem implorans, me nunc accingo labori,
Munificumq; canam populis hoc ordine Regem.

EXEGE.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

ANnus agebatur ter quingenteſimus, atq;
Luſtra ad bis ſex vndecimus, poſtq̃ alma caducã
Æterni ſoboles, & imago æterna parentis
Induerat formam demiſſus ab æthere Chriſtus:
Cùm iam vere nouo Sol altior arietis aſtrum
Vrebat: quo ritè cibis pia turba minutis
Tempore, cum luctu, nutriri ſueuit, acerbo.
Tunc & me grauis anxietas, tũ cura coquebat
Ignea, lugendæ voluentem incommoda ſortis,
Præſertim coram Domino quòd vita maneret
In canam ſterilis miſeroq; reoq; ſenectam,
Nec faceret per me quicq̃ vtile Chriſtus in alta
Meſſe ſua, mens quale mihi ſitit arida ſemper:
Vtpote, quò multis tandem irradiare beandis
Indole cum ſancta poſſit lux vera ſalutis:
Ad quod me viſi puerum vouiſſe parentes
Mente pia ſtudium, & genus exoptabile vitæ,
Cui collata leuem reor omnia cætera luſum.
Hæc animũ quoties pauidũ renouata ſubintrat
Cura, mihi fragiles langueſcunt protenus artus,
Genua labant, manibusq; deorſũ apprenſa remiſſis
Pondera deſidunt ſubitò, & vox faucibus hæret:
Sopitum vt quoties iniecta eſt pinus in ignem,
Ocyus accenſis renouatur flamma medullis,
Et ſtrepitum facit, & rabidis petit æthera pennis.
Aut, vbi tranquillæ ſaxum graue deſuper vndæ

Magna mole ruens, immittitur, illa tumultu
Terrifico tremefacta, ſtatim fugit, & fremebundo
Latè in diuerſas rapitur cum murmure partes:
Protinus & fundus motu experrectus aquarum
Turbidus emergit, color immutatur, & atrum
In ſummo ore lutum natat, & voluuntur arenæ.
Non aliter quaſſo mihi tunc in pectore mæror
Efferueſcebat vehemens, cordisq; lutoſas
Motabat latebras, humilis me lege myricæ
Caſurum optata quando ſine fruge timebam.
Præſertim, præter tam lamentabile damnum,
Cùm nec in officio, mihi quod commiſſum erat, alto
(Fallere quo tempus totũ hunc vtcumq; per annũ
Speraram poſſe vtiliter me) ſpretus, inermis,
Infirmusq; bonis quæ cenſerentur agenda,
Perficere ex voto ſinerer: tum duplice pectus
Affligente malo, grauiore premebar onuſtus
Incedens mærore, tuliq; in corde ſagtttas.
Aſt, vbi paulatim victrix, minuente dolore,
Per varios animoſa fides extollere motus
Diuinum caput, & mihi ſe præbere videndam
Diſcuſſis potuit nebulis, en, protinus illic,
In mentem reuocans mihi ſancta oracula Chriſti,
Tractum, cum palmis, animum in ſublime leuaui,
Corporeq; ante Deum proſtrato, ſupplicis inſtar,
Sollicito tales fudi de corde querelas:
O Deus, ô genitór, rerum cui ſumma poteſtas,
Qui clæmens humiles alta curare moueris
Ætheris

Ætheris è ſpecula, totum ne doloribus æuum
His mihi conſumi patieris? & anxia vota
Iam durus miſeri nunq̃ flectere clienctis
Exaudire tui, mundus quem prauus vbiq;,
Ceu ſibi diſsimilem, pungit, contemnit, & odit,
Luce noua quoniam cognoſcit, et indole tinctum?
Omnia nonnè tuis vltro peccata remittis,
Corde tuum quotquot Natum excepere fideli?
Me mea culpa premit, vitijs ego ſemper onuſtus
Erro meis. Ad me placidus tua mitia tandem
Lumina flecte pater, dele peccata benignus,
Quæ gemo: iuſticiæ verò da cingar amictu
Sontibus imprimis quærendæ, ac eſuriendæ.
Confer eam quæſo mihi nudo, ac induar illa
Purgatus vitijs, terrenaq; cuncta peroſus:
Quo tandem verè ſic à te miſsus, & vnctus
Cum fructu merear tua viuida verba referre
Depreſsis animis, & non vaga lucra ſecutis.
Hoc hoc, oro, mihi largire, hoc expeto lugens,
Hoc video multis opus eſſe ruentibus orco,
Quod ſit nemo, viam tumidos qui ducat in arctã.
Cætera, quantumuis tua munera, cuncta videntur
Exigui precij: donas mihi largus & illa,
Suſtentas inopem, ſanis & prolibus auges
Vna ex matre, mihi quæ non ſit inutilis vxor,
Perq; mare incolumem, perq; aſpera ſaxa tueris,
Das vires, ebræaq; das elementa, docere:
Prætereà nunc officio quoq; diſtrahis alto,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Quod nunq̃ petere, & nunq̃ ſperare mouebar.
Omnia quæ grata licet acceptare libenter
Mente velim, tamen haud (fateor) mihi plena vi-
Nec ſatis illa meo faciunt euanida cordi, (dentur,
Cùm neq; tu capiaris ijs terreſtribus altus,
Nec perferre velis, vt nos lætemur in illis:
Quod facilè hîc, obſtans mihi, declarare notaris,
Dum neq; magnificos commiſſo in munere donas,
Quos volo, ſucceſſus, aucto nec honore ſuperbum,
Sed contemptibilem hoc me vel magis efficis anno,
Quando tot opponis mihi, qui concepta retardent.
Hinc, oculos quocunq; meos conuertere tento,
Nec minimis in rebus adeſt ſolamen egeno,
Maxima qui ſummi ſuſpiro ad munera Regis.
Proqtereà gemitus mœſto, & ſuſpiria corde
Iugiter emitto, nec habet mens ægra quietem:
Quæſo Deus placido tandem me reſpice vultu,
Daq; pio deſiderio me poſſe potiri:
Si modò ſumme pater tua fert ita ſancta voluntas:
Nam tibi perpetuo decet vt parere velimus
Nos, in ſorte, tui famuli, quacunq; reperti,
Qui ſummè bonus, & ſapiens es in omnibus vnus.
Talia tum querula iactabam è pectore lingua
Verba, iacens ante ora Dei, tardèq; tenacem
Illius in placito poteram ſuperare dolorem.
Nox ruit intereà, & montes, vallesq; feraces,
Ædesq; Hafniacas fuſcis obnubilat alis.
Hîc vbi conſueto lectum de more petiui,
Curisq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Curisq; oppreſſos in amica ſilentia clauſi
Mox oculos, bonus en Genius demiſſus olympo
Formoſa facie pariter, candenteq; veſte
Gratus adeſt, primùm qui ſympatriota fidelis
Eſſe putabatur mihi Reinulus, inde, vbi vidit
Me triſtem, ſancto ſtans hæc eſt ore locutus:
Quid malè ſane gemis, tantoſq; in pectore luctus
Accumulas, munus quòd non diuina docendi
Tradatur tibi verba? quid heus volitare ſine alis
Aëra per ſummum, lapſurus in æquora, quæris?
Tune doles rudibus cladem, interitumq; minantē?
Atq; alios inquiris, adhuc miſer ipſe, iuuare?
Mitte tibi primum veræ pietatis vt alæ
Succreſcant, plenamq; intra præcordia lucem
Concipe, neue alios, rudis ipſe, docere labores
Nequicq̃. Nam cæcum vbi cæcus ducit, vterq;,
Nimirum ductor pariter, ductusq;, patentem
Corruit in foueam: nec promere fortia vina
Quiſq̃ è vaſe poteſt, quod adhuc aqua frigida com- (plet.
Littera ſi cui nota, Dei fœliciter inde
Non manifeſtatur mens, nec fit ſancta voluntas:
Littera, ſiue caro tàm longè à lumine Chriſti
Diſſidet, à ſummo q̃ tellus infima cœlo:
Littera viuificat nullum, ſed edace relinquit
Diſcipulos in morte ſuos, quicunq; ſupra illam
Cælitus haud tractas nequeunt attollere mentes:
Nec Domini triuit veros in lumine calles,
Frigida quem docuit ſancto ſine Littera flatu.

Sanctus at hic verè mentē cui flatus inunxit,
Subijcit ille Deo ſe, iuxtaq; illius alta
Viuere verba ſitit, propriūq; haud quærit honorē,
Nec ſummo cupit eſſe loco, ſed humillima cautus
Eligit officia, & præbet ſeſe omnibus vltrò
Ceu conculcandum, neq; carnis vbiq; recuſat
Arcanam perferre ſuæ ſine murmure mortem.
Tu quoq; ſic facito: ne ſit tibi triſte repelli
Cætibus è cunctis, inuiſumq; eſſe profanis:
Hac te nempe via Dominus præceßit, eadem
Tu ſequitor Dominum, nec mollior eſto Magiſtro
Diſcipulus, reprobi dum fers opprobria mundi,
Nec fuge damnari, ceu prauus, ab agmine prauo:
Quin etiam damna, & luge grauis arbiter ipſe
Temet, & euita, damnoſum, cautus, vt hoſtem:
Vt penitus moriare tibi, penitusq; redacto
In nihilum de corde tuo vetus effluat vnda,
Quò dulci plenum iam vas reddare lyæo,
Paulatim rurſum luce irrorante ſuperna,
Dum proprio fueris prius euacuatus ab omni.
Tum demum verax potes illi nuncius ire
Per terras, ibi verba tuo diuina ſonabunt
Ore bene, & Chriſti magna virtute voluntas
Pluribus in ſanctis per te complenda miniſtrū eſt.
Aurea ſic demum ſurget ſua Natio mundo
Vatibus à cunctis olim prædicta, recedet
Martia progenies, pax ducet ſancta choræas,
Melle fluent colles, montes, & flumina muſto:

Nec

Nec remanebit ibi vis horrida, frauſq; maligna.
Dū tibimet viuis, patet huc tibi nulla poteſtas:
Non vtrumq; ſimul potes & florere profanæ
More prius turbæ, et mox hæc bona ſumma docere
Cum ſanctis: idcirco breuis fer triſtia probra
Tempore momenti, velut infæcundus, & erro.
Sic fuit Anna diu mater Samuelis & ipſa
Ceu gnato caritura pio: ſic magnus Abraham
Coniuge cum Sara: Sic Iſaac, atq; Rebecca,
Sic etiam diuine tui Baptiſta parentes,
Atq; tui Samſon: poſtremo tempore certè
Viſa diu ſterilis gemet hoc Eccleſia luctu
Vera, nigris primùm cùm ſe diſiunget ab hircis.
Hinc vates ait: ô ſterilis cane læta, futura eſt
Maior progenies tibi, quàm prius obtigit illi,
Publica, ceu nuptæ, cui ſtat doctrina, marito,
Nempe docere palā quam fert mundana poteſtas.
Functio quin etſi nunq̄ tibi ſacra daretur,
Vita tamen talis totum vel muta per orbem
Doctrix conſilium ſpargat, ſine voce, ſalutis:
Mendicus quondam ceu Lazarus ille iacebat
Diuitis ante fores, & ſpe ſua damna leuabat
Mutus: is, ecce, tamen iam ſeſqui mille per annos
Ferre crucē ſanctam, & mundi contemnere vana
Gaudia tot magna docuit cum laude fideles.
Idcirco intereà, dum non has concipis alas,
Nec, verba vt doceas diuina, vocare Miniſter,
Sis humilis, maneaſq; intus, teq; ipſe labores

A morbo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

A morbo ſanare graui, tua damna peroſus,
Ac populo, pete, poſſe dari diuinitùs altos,
Quorum opera Chriſti ſiſtant ante ora, miniſtros,
Doctos à ſeſe Dominus quoſcunq; probarit:
Ipſe Dei patiens fac præſtolere fauorem:
Non eget ille tui: facilè hæc implere, miniſtros,
Cum volet, inueniet: tu corde flagrante ſalutem
Concipe gratuitam, committeq; cætera Chriſto,
Quæq; dat vltrò bonus, grata complectere mente:
Quin etiam terrena tibi, cùm cælitus adſint
A charo data dona Deo, ſolamina fundant.
Nec tibi nulla ferat releuati gaudia cordis,
Quod ſibi Rectorem te nunc Academia florens
Legerit abiectum: quod nec ſperare valebas,
Nec priùs in mentem mortali venerat vlli,
Nempe vno tibi, quicquid hoc eſt, clæmenter, hono-
Procurante Deo, cui nemo reſiſtere par eſt: (ris,
Vt noris, facilè hunc etiam tibi poſſe roganti
Largiri, magis eſſe tuo quæ congrua ſentis
Ingenio, quando tibi fidus id vtile cernet.
Hæc igitur facito nunc lætus, in hisq; miniſtrū
Te fratri ſimul, atq; Deo præbeto fauenti,
Sitq; ſatis Domini tibi ſemper amica voluntas.
Nec tibi diſpliceat nimium, quòd, magna gerendo,
Non reperire queas vllum, hîc quoq; paruus, hono-
Omnis enim ſoli debetur gloria Chriſto: (rem:
Nec venit hac homini quicq̃ damnoſius ægro:
Nec melius, quàm pro benefacto, triſte rependi
Sontibus

Sontibus opprobrium, & nulla turgeſcere laude.
Sic benefac, nemoq; ſciat, neq; noueris ipſe,
Quæ tua ſint benefacta, Deus dum nouerit vnus,
Præmia qui tandem dabit omnibus arbiter æqua.
Quin etiam, ne prorſus eũ nunc ſpernere credas
Anxia vota, tuum (ſed ſic, ne ſentiat vllus)
Huncce Magiſtratum tanto decorabit honore,
Nullius vt poßit contingere maior in anno:
Nec de pace loquor poſt bellum octenne reducta,
Quam tantùm precibus tota cum gente petiſti,
Sed, quoniam aucta ſibi nunc per ſtipendia mirè
Florebit lætis Reſpublica veſtra camænis.
Nam tuus, in veſtro Quæſtoris munere cætu
Fungens, Aurifaber gelidæ ſub tempora brumæ
Niclaum dictum Coldingum (Regis ad aures
Qui veræ profert myſteria grata ſalutis)
Abs te vt iußus erat, non voce rogauit inani,
Res vt is afflictas aliqua leniret egentum
Arte Magiſtrorum, Regemq; his flecteret æquũ,
Regius hæc etenim verbi ſacri ille miniſter
Addictus vobis memori ſub corde locauit,
Et vigili multas inſomnes pectore noctes
Sollicitè tranſegit, ad hæc implenda laborans:
Iamq; bonam in formã, Chriſto aſpirante, redegit:
Atq; etiam (Regi poſtquam cognouit id eſſe
Prægratum) Petro totam rem protenùs Oxo
Magnifico expoſuit Domino, qui primus in aula
Dilecti ſatagit curare negotia Regis.

Atq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Atq; hic vt ſemper doctis eſt omnibus æquus
Mecœnas, ita nunc promptiſsimus hancce fideli
Mente profeſsorum cauſam noctesq; diesq;
Quæret ad optatum vobis perducere finem.
Ergo, vbi mox proceres Regni hac totius in vr-
Sublimes aderunt ſublimi à Rege vocati, (be
Conſenſu vnanimi fidi concluſa Senatus,
Pieridum ingenti cum fructu, & laude ſororum,
Hæc tibi procedet res, effectumq; tenebit: (nes
Moxq; hinc (arcta nimis quæ nunc) ſtipendia cer-
Aucta profeſsorum, præſertim hîc à quibus artes
Ingenuæ, linguæq;, Ebræa, & greca, docentur,
A Roſchildenſi tranſlatis pluribus agris
Concilio, quos dehinc Academia ſemper arare
Veſtra ſinetur, ouans Regis, cantansq; fauore.
Tu quoq; ne dubites igitur celebrare benignum
Grata voce Deum, & contentus viuere paruis,
Dum nondũ alta fluunt, proprijq; optare medelam
Pectoris, illa ſuo magna adfore tempore ſperans.
Talia per ſomnum Genius demiſsus olympo
Sidereo mandata mihi dabat alta iacenti:
Quæ mox euigilans memori quum corde reuoluo
Suauiter, agnoſco, fugiente dolore, latenter
Inſinuare meo ſe lucida gaudia cordi:
Sicut, vbi perſæpe diu fuit imber aquoſus,
Nigrantem & tumidi ſonuere per aëra venti,
Si nitidam tandem diſcuſsis nubibus illic
Sol faciem profert, claroq; ſub æthere lucet,
Ocyus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Ocyus Æolijs Euri conduntur in antris,
Rurſus & abſumpto ſolidatur terra liquore.
Non aliter mentem mihi tum diuina ſerenam
Reddebant, grataq; animi promiſſa fugabant
Læticia curas, & cor mœrore leuabant.
Nec mora, confirmor, quod ſint hæc oĩa certa,
Quæ mihi per dulcem fuerant addicta ſoporem.
Nam, Synodus poſtq̃ dicto hoc memorabilis anno
Nobilium, Procerumq; graui decreta calendas
Eſſet ad Apriles ædicto Regis in ipſa hac
Metropoli magnis Regni de rebus agenda,
Protinus é cunctis Danorum finibus ingens
Nobilium cætus Matronarum, atq; virorum
Aduolat huc, ornatq; tuos paſsim Hafnia vicos.
Ante alios hîc bis duodeni Heroes, honeſta
Turba Senatorum, lati baſis inclyta Regni,
Veſtibus inſignes pariter, facieq; decenti,
Quæ ſpiret fortes animos, mentemq; peritam,
Totius eximio cum Gentis honore videntur
Scandere ſublimem Regis, comitantibus, arcem,
Ponè ſatellitibus, turritaq; tecta ſubire.
Rex verò ipſe priùs tacitis aduenerat horis
Tum Friderichsburgo placita progreſsus ab arce
Simplice cum pompa, vulgiq; fefellerat ora
Denuò ſemper eum cupidi ſpectare benignum:
At ſpernit Princeps popularem heroicus auram,
Atq; intus mauult ciues moueantur honeſtis
Officijs, quam tot ſegnes aſtare per horas,

Tum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Tum verò demùm, cum magna negotia poſcunt,
Externisq́ etiam ſatrapæ de gentibus adſunt,
Regali ingreditur fulgens hæc mœnia pompa.
Quarè inter primos cùm tū quoq́ alacris adeſſet,
Præcelſum Regni læto excipit ore Senatum.
Nec dedignatur dextris coniungere dextram,
Ac tandem oratos, magnis vt luce ſtatuta
Conſultaturi Regni de rebus adeſſent,
Rurſus, vti fidos, clæmens dimittit, amicos.
Venerat huc etiam Verbi tum preco beati
Niclaus, Coldinga cui cognomen honeſtum
Vrbs dedit, Aönij templi qui quattuor inter
Conſeruatores haud infimus eſſe meretur,
Vt cum collegis incepta negotia plenum
Duceret ad finem. Nec in hoc Schougardius heros
Difficilem ſe præbet, at eſt hic iugiter altæ
Sacra Lycæa ſcholæ, Muſasq́ iuuare paratus.
Quippe bonis animo placido omnibus ille benignus.
Caſparus quoq́ Paſelicus candore probatus
Vſq́ vir inſigni, iurisq́ oracula doctus
Omnia Romani, totum huc ſe protinus offert.
Primus at è quatuor Conſeruatoribus illo
Ceſſerat è viuis in tempore, nempe Iohannes
Stirpe ex Friſorum, qui Cancellariu. altus
Per multos tribus hîc fuerat ſub Regibus annos,
Vir ſapiens, prudensq́ inſigniter, atq́ peritus
Multarum rerum, cuius moderatio ſæpe
Profuit huic Regno, pacemq́ retraxit euntem.

Illius

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Illius ergo locum tum nondum certus habebat
Succeſſor, quanq̃ Côſorum ſtemmate clarus (rẽ.
Tũ quoq; erat Niclaus ad hunc præſumptus hono-
Quò ſua nunc plenè virtus illum extulit alta.
Nam bonus hîc etiã eſt, mundiq; ſcit acta vetuſti.
Cuncti igitur cũ noſtra forent in cõmoda proni
Conſeruatores, imprimis ille palatij
Summus vbi præſes magno huc raperetur amore,
Coldingus paucis exin concepta diebus,
Illorum auxilio, ſua perficit, atq; decentem
In formam redigit, quam tũ quoq; tradidit aulæ.
Nũc age Muſa refer celebratũ Principũ in Au-
Concilium, per quod multis Academia floret (la
Aucta bonis, quodq; hinc ſumpſi mihi iure canen-
Quando fuit Regni tã totius vtile Doctis. (dũ,
Heroum, fateor, paruo mihi cognita non ſunt
Arcana, at foribus tu ſcis quæcunq; geruntur
Forſan & occluſis, tu conſultantibus aſtas
Vel clã principibus: nõ hîc tamen, omnia pandas,
Oro, ſed ad cauſam tantùm ſpectantia noſtram:
Illa palàm, cunctis, vt ſpero, volentibus, ædas.
Ergo, vbi dicta dies illuxit, manè frequentes
Cum famulis altum properant heroes in arcem
Tramitibus varijs, paulatim & pluribus illuc
Infuſis, aulæ complent ſubſellia magnæ,
Colloquijsq; breuem gaudent dare ſuauibus horã,
Dum ſignum tandem fieret, Regem eſſe paratum,
Recluſoq; foràs ad ſe prodire cubili:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Extemplò aſſurgunt venienti cominus omnes,
Dantq; viam Domini pariter, iunctiq; miniſtri.
Mox heroes eum viginti quattuor, altus
Qui ſunt aſciti Regi, Regnoq; Senatus,
Ordine quiſq; ſuo præeuntem ponè ſequuntur:
Atq;, foris reliqua tota remanente caterua,
Dilectum pulchro deducunt agmine Regem,
Amplam in concilij cameram, quam picta colorant
Mirè in circuitu belgas aulæa per artes,
Tum Rex accubitũ primus capit inclytus amplã
Ad menſam, quã condecorant viridantia mundo
Strata ſuper lino fragrantum ſemina florum,
Hinc Proceres illi paulatim adiungere ſeſe
Pro meritis ibi quiſq; ſuis, & honore gerendi
Muneris, aut longè, aut propius loca ſtrata peten-
Auribus inſtructis ad Regia dicta, parabãt. (tes,
Præcedit reliquos Oxorum gloria Petrus
Inclytus officio pariter, factiſq; canendis,
Arx cui præclarum dat Gyſelfeldica nomen.
Tum Petrus in Scrammis lucens Vropius heros,
Ipſeq; Luccorum de ſtirpe Georgius alta,
Fortia dictus eques per facta auratus vterq;,
Conſedere ſimul venerandi ætate ſenili.
Deinde Roſenkranſo clarus de ſtemmate ſedem
Occupat Holgerus Boluera ex arce profectus.
Huic Petrus adiungit ſeſe Suanholmius ille
Bildorum veterum generoſo ſanguine cretus.
Inde Roſenkranza quoq; ſtirpe Georgius ortus,
Cui

Cui titnlum domus inſignem Roſenholmia fecit,
Se locat. Hunc iuxta Rudiæ ſtirps gentis Ericus
Conſidet. Hinc Iacobus adeſt Vlfeldica fama:
Arceq; de Staron Cõſorum ex Gente Biorno:
Mox alter ſequitur Stenholtzius ille Biorno
Filius Andreæ celeberrimus: Inde ex Lydſtrip
Eilarius lucens Grybborum in Stemmate iungit
Se reliquis: Petrꝰ hinc Munci cognomine gaudens,
Atq; alij, quorū haud retulit mihi nomina Muſa,
Pulchro monſtratas inuadunt ordine ſedes.
   Tandē, vbi facta quies, cunctiq; intenta tenebāt
Ora, ad propoſitum ſimul atq; accedere cauſam
Viſum erat, exurgit mandato inſtructus honeſto
Regius Orator, doctoq; ante omnia grates
Ingentes agit ore Deo de pace reducta
Poſt annos fermè octo, quibus graue Dania bellū
Senſerat aſſiduè, & ſæuum trepidauerat hoſtem
Militis haud ſine iactura præſtantis, opumq;
Magnarum, quas Mars abſorpſerat ore voraci:
Præſentesq; omnes ad idem facundus agendum
Incitat officium. Tunc ingens murmur in auras
Tollitur, & iunctæ tenduntur ad æthera palmæ:
Dum tanto ſe quiſq; Deo pro munere gratum
Exhibet: imprimis ibi Rex Friderice canebas
Corde tuum verace Deum de pace reuerſa.
   Tunc etiā vnanimi cunctorū voce ſtatutū eſt,
Haffniacos vt per vicos, omnesq; plateas
Regius Heraldus ſenior de gente Scotorum

Carolus attentas hæc proclamaret ad aures
Plæbis, vt illa Deũ caneret quoq; mente refecta.
Quod factũ eſt etiam abſq; mora, totamq; per vrbẽ
Adduxit nuper mœſto noua gaudia ciui:
Iamq; Deum cuncti certa de pace celebrant.
Intereà porrò varijs de rebus agebant
Alto in concilio Proceres, his reddita terris
Pax quibus in longum ſit conſeruanda cathenis
Tempus: & attritus quanam ratione popellus
Poßit ad antiquas citò refloreſcere vires:
Relligio quibus alta modis lucere notetur:
Augeat eximiæ quid Nobilitatis honorem:
Ditandis proſit quid ciuibus, atq; colonis:
Vnde ſtatus Regni benè agant iam totius omnes.
Hæc vbi mille vijs inquiſiuere ſedentes,
Ac tandem certi quid concluſere, ſenator,
Omnibus in medium reliquis facundior vnus
(Muſa fuiße Petrũ tacitè mihi rettulit Oxum)
Conſurgit, Regemq; altum, Procerumq; coronam
Talibus alloquitur dictis ob commoda noſtra:
Quandoquidẽ ſcio te Rex clæmẽtißime ſemper,
Vosq; viri eximij velle, vt ſyncera parentum
Noſtrorum vigeat, maneatq; in ſæcula cuncta
Relligio: quod non fit, vbi linquuntur egentes,
Illa propagari per quos ſolet vſq; Miniſtri,
Cùmq; Miniſterij ſit pars Academia ſacri
Præcipua, haud nimis arcta illi ſtipendia linqui,
Suaſero. Magna ſatis (fateor) pridẽ illa fuerunt,
Dum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Dum precio nobis venibant cuncta minore,
Sed nunc in peius mutatis omnibus, illa
Non etiam longo poterunt retinere peritos
Tempore doctores: præſertim vita Magiſtris
Quomodò non ſit inops longum ducenda per annum
Vilibus è centū, quanq̃ eſt domus ampla, thaleris?
Vnde tibi ſi Rex placet, (vt cognoſco placere)
Poſſe Profeſſorum cuiuis obtingere dignos
Officio ſumptus, per quos hinc viuat honeſtè
Citra cuiuſquàm damnum, Regniq; grauamen,
Per tua fac tandem, & Procerum ſuffragia quæſo,
Cunctorum vt plenè firmetur idonea forma,
Quam tuus inuenit diuinæ præco ſalutis,
Vnà cum reliquis Conſeruatoribus altæ,
Non ſine fruge, ſcholæ, nobisq; probantibus illam
Obtulit, ad mundum dein vt deſcripta, ſigillis
Paulo poſt etiam appenſis in margine noſtris,
Perſtet in æternum nulli violabilis hoſti.
Nil hinc theſauris Regni deceſſerit amplis,
Vna ſatis faciet Roſchildica Regula diues:
Dum tres Doctores oracula ſacra profeſſi
Perpetuò canonum iubeantur viuere, quorum
Nunc ſunt participes: reliquis tribus inde, perito
Vni nimirum iuris, Medicisq; duobus
Permittatur, vti vicibus melioribus inde
Tranſlatis ad eos nunc omne fruantur in æuum.
Iam ſex maiores, pleni qui lege Magiſtri
Cenſentur, capiant è ſex accommoda lucra

 Præben-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Præbendis illic dictis, & ſorte fruentes
Hinc meliore canant aucta ob ſtipendia Regis
Munificam dextram. Neq; in his Roſcildia magnũ
Accipiet damnum, nam cum præſentibus illic
Participes Canonum nonnulla grauamina dicti
Ferre Profeſſores poterunt hinc, atq; labores:
Dent eleemoſynas, cauſasq; audire ſubinde
Cum reliquis in Iudicio teneantur honeſto:
Sic nihil à veteris decedet iure capitli. (giſtris
Deinde vices geminas (quarũ & nunc facta Ma-
Copia) permittat reliquis Lundenſe duobus,
Aſciti ad ſtudium qui ſunt puerile, capitlum.
Hoc, ſimiliuè modo, Rex illuſtriſſime, voſq;
Egregij Proceres, Academia noſtra iuuari
Citra cuiusq; damnum, Regniq; grauamen
In patriæ magnum poterit communis honorem,
Nam decus hinc morũ, vitæq; excreſcet honeſtas,
Latiùs & pietas tibi, relligioq; ſupernè
Miſſa propagari (Chriſto donante miniſtros
Artibus inſtructos varijs, linguisq;, nitenti
Cum pietate) poteſt, doctorum & carmine vatũ
Recta ſuam accipient hinc laudem facta parentũ.
Talibus inſtabat monitis memorabilis heros
Doctrinæ ſimul, & Regni cor amore perunctus:
Munificus quæ cùm pronis Rex auribus hauſit,
Gauiſus, largo profert quæ corde latebant,
Seq; oſtendit, eum ſermonem audiſſe libenter,
Atq; ſibi curæ eſſe Scholam, ſe velle, quibuſuis

Illa modis vigeat, maneatq; in flore perenni,
Ceu magnum Regni decus, ornatumq; paterni:
Quin etiam ſe nolle, Profeſſor vt vllus egenus
Viuat in hoc Templo Muſarum, at largiter illis
Vel Regni è loculis (melior ſi nulla pateret
Hîc via) donandum, quò iuſtis abſq; querelis
Cum virtute queant præſentem degere vitam.
Hoc iam ſi qua modo lucrari commoda poſſint,
Præſertim, inter eos inopem qui ducere vitam
Sint dicti, his ea ſe concedere corde lubenti.
Quapropter, fuerit quàm primùm allata tabella,
Confirmaturum ſeſe illam ſponte ſigillo
Regali, quin totum etiam rogat vltrò Senatum,
Secum vt idem facili promittant ore fauentes.
Has vbi ſublimis Rex deſijt ædere voces,
Et mox cepiſſent ſuffragia grata rogari
Magnorũ in cœtu Procerũ, hæc mirè omnibus vna,
Quæ priùs eximio, placuit ſententia, Regi,
Cunctorumq; ſimul clamor ſuauiſſimus auras
Impulit, augeri iubeat ſtipendia tali
Lege Profeſſorum, vt florens Academia perſtet.
Atq; ea cùm Regni concluſio totius eſſet
Secreto à Scriba fidis commiſſa tabellis,
Cæteraq; optatum nacta eſſent omnia finem,
Exurgit prior ore nitens Fridericus honeſto
Danorum Rex, & Procerum ſtipante corona
Progreditur lati decus aſpectabile Regni,
Donec ouans actis thalamo ſeſe abdidit amplo.

Hanc placuit ſera pro poſteritate celebrem
Reddere, ſi poßem, Synodũ, quia commoda nobis
Grandia concluſit, quæ mox & firma Sigillis
A celſo Rege, & Regni ſunt facta Senatu.
Nunc etenim illorum nobis conceditur vſus,
Tunc in perpetuum, quæ ſunt à Rege ſtatuta
Munifico tempus. nunc, ſollicitudine ſquallens
De victu nobis tergum vertente refectis,
Muneris authorem tanti per carmina grata
Concelebrare libet: mecum vos pangite chari
Collegæ Regẽ, qui contulit iſta, Magiſtri. (norẽ,
Noſtrũ opus hoc, noſtrũ placidus Rex auxit ho-
Auxit opes, auxit promptas in carmina vires,
Dum noua ſuccreuit nobis Reſpublica quædam,
Communes vt iam quercus, phagiq; Magiſtris
Hîc illic patulæ paſcoſa cacumina vibrent
Coniunctis: nam, præter agros, & paſcua lata,
Sneſlouia acceßit nobis, & Abatia ſyluæ,
Pluribus vnde focus calet, extruiturq; propinquos
Diſperſis latè per agros caſa multa colonis,
Vnde ſaginentur porci quoq; ſæpe trecenti:
Tanta tua an non eſt Rex munificentia large
Digna cani? memori nos & te mente canemus,
Et tua dona, ſcholã quibus hanc, opulenta, beaſti,
Donec erunt ſacræ conſueto in honore ſorores,
Quotquot amamus eas, & honeſta docemus earũ
Hîc ô Rex Friderice tuo myſteria iußu.

Tu

Tu columen fidum, tu ſuſtentator earum es.
Nec ſolos nos hic tua munificentia nutrit,
Larga Profeſſores Muſarum arcana docentes,
Verùm etiam centum ſtudioſis diſcere promptis
Das pius, ad facilem quæ ſint ſatis omnia, victū,
Oeconomus quorum nunc eſt Scauenius, amplas
Naturæ qui pandit opes, viresq; latentes.
Ne dicam Rex, quanta tibi ſit cura, Miniſtros
Totius vt ſacros diuerſo in climate Regni
Sufficienter alas, adiectis vndiq; gazis:
Omnibus eſt notum, quanto pietatis amore
Ducaris: quantoq; ſacram defendere zelo
Doctrinam ſtudeas: potes hac ratione parenti
Laudato par eſſe tuo, magnisq; Monarchis.
Nec iam, ciuilis quanto ſtimuleris amore
Iuſticiæ, repetam, quæ ſunt cantata frequenter
Omnibus in triuijs, populiq; rotantur in ore
Totius aſſiduè, nec ſunt incognita cuiquam:
Nunc mihi ſufficiat præſentia dicere dona
Rex tua, quæ nobis ingente fauore dediſti:
Pro quibus ex imo grates tibi ſoluimus omnes
Corde Profeſſores, præſertim, afflicta, Magiſtri,
Sors quibus in lætum ceſſit mutata colorem,
Nos meritas odas, iuſtæ & præconia laudis,
Hæc dū vita manet, memori tibi mente canemus:
Tu placido noſtra ad pia carmina reſpice vultu.
Si tibi pro meritis dignā haud ſatis illa rependunt
Vilia mercedem, mercem tibi crede futuram

Pro meritis Chriſtum, quē ſupplice corde rogamus,
Iugiter vt clæmens tibi pronā accommodet aurē,
Præſertim quoties horrenda pericula clades
Intentant: ibi ſuppoſita te liberet ille
Subueniens dextra, multosq; benignus ad annos
In trepidi ſaluum tueatur commoda Regni:
Vera & luce Dei perfundat, & indole ſancta,
Mundi vt cum Sanctis perituri gaudia ſpernas
Omnibus, afflictis vt ſis, & paupere preſſis
Corde bonus, iuſtus tumidis, & pacis amator,
Æternæ guſtans animo primordia vitæ: (trent:
Sic Regnū bona multa tuū, & mala nulla ſubin-
Regis enim ad normā populus componitur omnis.
Quarè, ea contingant, gnara tibi mente precamur.
Nec minus, vt Regina tibi ſit ſalua, rogamus,
Vtq; pium ſeris fœlice nepotibus ædat
Ex patre te Dominum partu, Regemq; potentem.
Hæc & cuncta, pijs quæ ſunt optanda, Monarcha
Det cœli, terræq; Deus tibi, grandia propter
Munera, ſuppliciter grato depoſcimus ore.
Præcelſos etiam Regni, quicunq; fideli
Mente, Senatores, iuuerunt commoda noſtra,
Laude ſua grati nos condecoremus oportet,
Et bona pro tantis optemus vt omnia donis:
Imprimis ô Petre tibi decet Oxe, palatij
Qui loca ſumma tenes, aulæq; vocare Magiſter,
Æternas memori ſoluamus pectore grates,
Non modò, quòd cunctas Muſis adiungere vires
Promptus

Promptus in hac ſemper cauſa, nobisq; fuiſti,
Sed, quia Pieridum nunq̃ non alma ſororum
Sacra iuuare ſtudes, quærisq; optata Miniſtris
Commoda diuini ne ſint euanida verbi.
Det tibi pro tali ſtudio ſyncera viciſsim
Æternus Chriſti pater, & quæ prima flagraris,
Gaudia: det ſancta iam perfundare beatus
Cognitione ſui, caſtoq; accenſus amore
Cæleſtem haud fruſtrà quæras ante omnia lucem:
Tum det ſucceſsus etiam pro tempore lætos,
Vt Regnum hoc multos poſsis ornare per annos,
Nec, niſi in extrema, poſt inclyta facta, ſenecta
Lugenti celebris patriæ, & dilectus obire.
Nec minus & vobis ô pectora fida, quaterni
Conſeruatores Academiæ amabilis huius
Perpetuos memori dicemus pectore grates:
Inter quos Niclae nites de ſtemmate claro
Coſorum, qui nunc es Cancellarius altus,
Noſtraq; ſcribendo nobis prodeſſe volebas,
Et tu Scougardi placidisq; ô moribus heros,
Oreq; procellens, & tu Caſpare diſerte.
Cunctipotens pater & ſinglis, atq; omnibus, oro,
Semper adeſſe velit pius, & bona plurima vobis
Æterna adijciat ſimul, & præſentia largus.
Imprimis grati nos te celebremus oportet
Regie diuini verbi Niclae miniſter,
Quem trepidis primũ votis onerauimus, hæc vt
Perficeres nobis, haud vana voce rogantes,

Quæ

Quæ perfeciſti quoq; nunc, at pluribus antè
Noctibus ob curas traductis abſq; ſopore:
Commoda noſtra tibi tanti conſtare volebas.
Immò neq; hîc primùm nobis innotuit illa
Perpetuò Muſas tua prompta iuuare voluntas:
Mille vijs etiam priùs vſq; negotia Regi
Commendare ſoles, effectaq; reddere noſtra.
Det tibi tã iuſtis, quæ nos ſatis ampla nequimus,
Præmia pro meritis immenſi Rector olympi:
Fœlix in terra viuas, fœlicior inde
Siderei videas faciem ſine fine Parentis.
At ſatis hæc hominũ fragili ſint ſemine natis,
Altiùs aſcendam. Tu qui Rex Chriſte fuiſti
Principium, nunc meta mei quoq; carminis eſto.
Cuncta etenim, quæ recta, tui ſunt dona fauoris:
Et, ſi quis nobis hominum fauet, atq; miniſtrat,
Aſcribi ne tuo ſolius debet amori?
Nempe tuæ dextræ mortalia ſubdita corda,
Quoquò vis, inflectis ea, vt iam triſtia Sanctis
In mundo, iam læta ab ijs euenta ſerantur.
Hinc hominũ quæ parta manu ſunt gaudia no-
Illa tibi meritò, ceu primo, accepta putamus, (bis,
Authori, referenda, tuiq; probamus amorem
Gratuitũ hinc in nos effuſum, & viſcera cordis,
Dulciſonos nunc iure tibi meditemur vt hymnos
Vnanimi ſtudio, hoc etiam pro munere grati:
Quanq̃ nulla tuas & ferrea lingua ſonarit
Exactè laudes, vt ſint vel parte tuorum

Exigua dignæ donorum ô ſancte Redemptor.
Perge tuis quæſo famulis placatus egenis
Munifica tua grata manu largirier vſq;
Dona, fer ætherea lucens è ſede petitam
Afflictis in rebus opem, da cuncta benignus,
Quæ fœlix nobis reddant hoc egentibus æuum.
Imprimis æterna pijs tua munera confer:
Hoſtibus opprеſſis, cœtum defende fidelem:
Hunc auge ſemper magis, ac magis, vndiq; multos
Adiungens illi, docta qui cœlitus vnum
Commoti te mente colant, vltròq; ſequantur.
Da pater huic vnctos diuinitus alte Mini-
Indoleq; imbutos Agni mitiſſima, & atrū (ſtros,
Haud operante dolum: ſic ſic affectus, amabò
Fac, tua nunc vineta frequens operarius intret,
Inq; tuam placeat multos emittere meſſem
O tales tibi cultores: quibus addier haud me
Si fas eſt, patiar ſtomacho mea damna repreſſo:
Dum ſaltem, dignos tu quos huc ire putaris,
Emittas aliquos pius, vt cum lumine ſancto,
Viuificam Chriſti virtutem in corde gerentes
Afflicto, pauidis veniant exponere multis
Viua Dei ſummi pleno de pectore verba.
Tum tua lux totum fœliciter ibit in orbem,
Qua noua mox terræ facies reddetur, vbiq;
Conuerſis ad te, pridem cultoribus eius,
In quibus hinc prima dominati ab origine regnū
Peccati

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Peccati ruet, & ſumet maledictio finem,
Nullus vbi dolus, & ſæuitia nulla manebit
In Sanctis, perfecta quibus tua Chriſte voluntas
Explenè ſancti patefacto lumine Flatus
In cano mundi ſemel irradiauerit æuo.
Fœlices nimium, quorum procedere quibunt
Illa miniſterio, quosq; huc emittere ſurges
Tu Deus: hi rurſus tua diruta templa, ruinas
Æternas, vitijs nimirum infecta malignis
Corda ſuo primo reddent humana nitori.
Tum tua Chriſte domus varijs in montibus alta
Stabit, eamq; auidis accedent vndiq; plantis,
Grata quibus motas ea vox intrauerit aures,
Vtilibus mutent vbi dura ligonibus arma,
Iamq; colant in pace tibi ſua terrea corda,
Quiſq; patrum arcana ſub ficu, & vite ſuorum
Amplexi pacem: tum conuerſabitur Agnus
Cum ſæuis impunè lupis, tradentq; quieti
Pardorum quoq; ſe catuli: puer aſpide ludet
Cum ſocia: quin & Baſiliſci doctior alter,
Hæreticiuè mali funeſta foramina tutus
Ingredietur ibi: non illic lædere quiſquàm,
Nec poterit damnare pios meliora ſcientes.
Nam, velut vnda maris, totã Sapientia ter-
Obteget, ætatemq; adducet vbiq; virilem, (rã
Cum Deus in Sanctis erit omnibus omnia ſolus,
Inq; ſuum Regnum Chriſti conuerterit illis

Hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Hoc regimẽ,quod adhuc elemẽta haud oĩa liquit,
Spiritus hinc vt ſint merus omnia vota piorum:
Hæc peto prima mihi, cupidis hæc omnibus opto:
Tu Deus hæc noſtro bona fac ſub Rege niteſcant.

F I N I S.

Deo laus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Hoc regimē, quod adhuc elemēta haud oīa liquit,
Spiritus hinc vt ſint merus omnia vota piorum:
Hæc peto prima mihi, cupidis hæc omnibus opto:
Tu Deus hæc noſtro bona fac ſub Rege niteſcant.

FINIS.

Deo laus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1438 8° copy 1